

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Lvдовici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De  
Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis**

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum  
Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac  
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

**Puente, Luis de la**

**Coloniae, Anno M.DC.XII.**

Med. 19. De ijs quæ primo die creauit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](#)

super creaturas, nomine & titulo creationis:  
ideoque tunc (teste S. Thoma,) Deus accepit  
nomen Domini, & possessionem sui Domini.  
nam tunc cœpit habere creaturas, seruos &  
famulos, quorū esset Dominus, & quibus pos-  
set imperare. Gratulabor itaque illi de novo  
hoc nomine, ex toto corde gratitudinis ple-  
no. O Deus æterne, cuius Dominium quoad  
potestatem est æternū, gratias tibi, quod fue-  
ris dignatus tot creaturas creare, quarum es-  
ses legitimus Dominus. Gaudeo Domine,  
quod noster sis Dominus, Dominus omnium  
Dominorum, & unicus Dominus, à quo pro-  
cedit omne dominium. Si quidem igitur meus  
Dominus, gere curam mei, creature tuæ:  
accipe possessionem mei, ita ut ego tanquam  
seruus fidelis, tuo semper seruitio attendam  
in secula, Amen.

<sup>1. part. q. 23.</sup>  
<sup>4.7.</sup>

## MEDITATIO XIX.

DE IIS QVAE PRIMO  
die creauit Deus.

## PUNCTVM I.

**D**IXIT DEVS: fiat lux. Et facta est lux: & vidit Deus lucem quod esset bona: & dixit lucem à tenebris: Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem.

Genes. i. 3.

PRIMÒ considerandum, quòd Deus Dominus noster, videns, in quibus tenebris mundus esset; ut illum perficeret, creauerit ante omnia lucem; sicut qui facem accéderet in obscura aliqua domo, ut homines ingredieam possent. Perpendam ergo, quām fuisset vē miser hic mundus, absque hac luce corporali & quanta bona illa secum adferat. nam illa manifestat opera Dei; & res pulchras ac spē etabiles, quæ sunt in mundo: sine ea nec vide-re possemus, nec ambulare, nec præstare aliquid operibus corporalibus accommodatum; est causa magnæ lætitiae omnibus viuentibus; per eandē multæ descendunt influentiæ & virtutes, quibus mundus conseruetur. propter quæ, dum videret Deus lucem, dixit, illam esse bonam, & valde conformem fini ipsius universi, & utilem omnibus viuentibus. Et hoc mihi erit motiuū, gratias Deo agendi pro hoc lucis beneficio; & quotidie, cùm sol oritur, ac recēs lucem adfert, Deum propter illam laudabo; & quòd oculos mihi dederit, ut illam viderem, & ea fruerer; & ob lætitiam, qualificior ex ea; reuocans in memoriam, quòd Tobias dixit, b quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen i& non video? Propriam etiam firmiter, hac luce utri in finem Deo constitutum, ad videndum scilicet Deo opera, & eundem propter ea glorificandum dolens etiam vicem peccatorum, qui remadeō bonam oderunt, ut liberiū peccare possint, sicut ipse CHRISTVS dixit, c qui max

b Tob. 5. 12.

c Ioan. 3. 20

*agit, odit lucem, ut non videantur opera eius.*

SECUNDO ex hoc ascendam ad considerandam excellentiam lucis spiritualis, qua Deus perficit animas in tenebris, in obscuritate, & spirituali. in umbra mortis existentes, quæ ex se aliud nō habent, quām tenebras ignorantiae & culpæ; quam lucem Deus libentissimè communicat. Delectatur enim, quod ab omnibus cognoscatur, & quod omnes gloria ipsius opera videant, & per eandem, quid sibi sit agendum, quare ratione Deo seruicium, & ad vitam æternam properandum cognoscant, iuxta illud Davidis: d *Signatum est supra nos lumen vultus* d *Psalm. 4.7.*  
*tui Domine. Per illud enim lumen, nobis communicat cœlestes influentias gratarum &*  
*virtutum, impletque corda magnâ lætitia.*  
*Quamobrem videns Deus etiam hanc lucem,*  
*dixit eam esse bonam, & quidem eminenter*  
*bonam in omni genere boni honesti scilicet,*  
*utilis, & delectabilis. est enim conueniens*  
*valde & conformis supernaturali fini gratia;*  
*est principium virtutum; utilis ad omnia ope-*  
*ra bona; ac delectabilis in eorum exercitatio-*  
*ne. Quod si tantas debeo gratias Deo, propter*  
*lucem corporalem; quanto debeo maiores*  
*propter hanc spiritualem, quæ incomparabi-*  
*liter est melior? e O Pater luminum, à quo lu-*  
*mina omnia procedunt, gratias tibi propter*  
*suplicem hanc lucem, quam ad illuminandum*  
*corpus & animam meam cōdidisti: millies sis*  
*Benedictus Deus, propter lucem corporalem,*  
*qua video res oēs visibiles; & millies millies*

II.

De luce  
spirituali.*c Jacob. 1.17*

sis glorificatus, propter spiritualem, qua video inuisibilia. Aspice Deus meus, animę meę obscuritatem; compatere illi: & siquidem fons es luminis, f eo illumina tenebras meas. O splendor gloriae Patris, lux à qua procedit lumen, lumen de lumine, fons luminis, & dies diem illuminans, educ me è tenebris, in quibus versor, & fac me g lucis perfectum filium: conuerte noctem meam in diem, ut currens pergam, sicut h lux matutina splendens, qua procedit & crescit usque ad perfectam diem uerbi eternitatis, Amen.

Ad similitudinem huius colloquiū, quod ex parte acceptum est ex quodam hymno Ecclesiastis, isti possunt alia etiam ex hymnū, qui dicuntur ad matutinum, & ad laudes, & ad vesperas, & riuarum, qui pleni sunt affectibus & laudibus uerbi lucis.

## PUNCTVM. II.

**D**EINDE considerandus est modus, quo Deus hanc LVCEM creauit. In quo lunaria perpendenda. Primum, quod fecerit LVCEM prima die: nam lux corporalis presentia sua facit diem, & siue ea non est dies: si similiter lux spiritualis, est prima perfectione & veluti primicia Christianae perfectionis, sine qua nec ad unum passum progredi possumus, dicente Dauide: a vanum est ante lumen surgere: & ita curę est Deo Dño nostro, in virtute nostrae, & quando sumus in tenebris præuenire nos illustratione aliqua & ratione clarissimę lucis, ut possimus ambulare.

a Psal. 124.3

pro ipsius seruitio laborare, b *O lux vera, quæ illuminas omnem hominem, qui per usum ratio-*  
*nis venit in hunc mundum; præueni me tua lu-*  
*ce, ut tecognoscam & amem; &c, te adiuuante,*  
*c præueniam solem ad benedictionem tuam, d ad*  
*te de luce vigilans, vt expendam primam diei*  
*partē, & ortū lucis, te adorando, & benedicen-*  
*do ob magnitudinem tuarum misericordiarū,*  
*quib' me preuenis, vt meis miserijs subuenias.*

b *Ioan. i. 9.*c *Sap. 16. 28.*d *Psal. 5. 5.*e *62. 1.*

## II.

DEINDE perpendendum, quod Deus Do-  
minus noster hoc primo die, LVCEM tantum  
efficerit, quamuis multa alia potuisset: sed sa-  
tis bene collocatum hunc diem existimauit,  
in hac lucis productione, & vt suum illa cur-  
sum perageret per totum huius mundi hemi-  
pharium, tenebras depellens, & integrum  
faciens diem: Hac ratione nobis manifestans,  
quanti ipse lucem æstimaret; & quanti nos  
debeamus facere spiritualem, occupantes nos  
omnino in ea nobis procuranda; & interdum  
integrum diem, vel certe aliquam eius horam  
expendentes, vt in hanc rem solam incumba-  
mus: occupationib' aliis interim reiectis, do-  
nec pensum illud nostrū integrè expleamus,  
& in eadē exercitatione ad finē usq; vitæ con-  
stanter perseueremus, sicut cursus huius lucis  
continuè diebus omnib' perseverat. d *O Sapiē-*  
*tia diuina, quæ ex ore altissimi prodisti, primo-*  
*genita ante oēm creaturā, quæ effecisti in cœlis,*  
*vt oriretur lumen indeficiens, largire mihi par-*  
*tem aliquā supremi istius tui luminis, quod ita*  
*firmiter in me maneat, vt nunq deficiat; donec*

d *Eccles. 24. 5.*

232

plenum recipiam in æterna gloria, Amen.  
**TERTIÒ** perpendendum, quòd tota sanctissima TRINITAS, beneuolo & omnino iucundo suo imperio, magnaque sua oblatione, hanc LVCEM creauerit, & sibi in ea compluerit: quod indicant ipsius S. ripturæ verba illa, *dixit Deus fiat lux*, Pater videlicet per suum filium, qui est æternum eius verbum *dixit fiat Lux*, & in momento facta est Lux. Videns autem Sapientia suâ, quòd lux esset bona, approbavit illam Spiritu sui amoris, & in ea sibi compluerit. & quoniam Bonitatis est proprium, se ipsam communicare; voluit, ut facta haec lux sensim communicaret se toti huius mundi hemisphærio, ut dictum est. O Trinitas beatissima, ex corde gaudeo, quòd tibi complaceras in luce creatâ, propter oblationem, quam adfert tibi lux increata! O Pater supreme, propter amorem quem geris erga tuum filium, supplico humiliter, ut intus dicas anima mea *fiat lux in ipsa scilicet anima mea*; quia ita id fieri ea vero ratione eam fac, Domine, ut me sancti facias; & Spiritus sanctus, simul venies, habitet in hac domo lucis in æternum, Amen.

## PUNCTVM III.

**L**  
**T**ERTIÒ est considerandum, quòd dominus dicit Deus lucem à tenebris; & lucem appellauerit diem, & tenebras noctem; hoc ratione volens, ut in hac terra esset successio lucis & tenebrarū, dierum & noctium; ut homines in die & cum lumine operari coeantur, nocte

ver

verò & in tenebris, requiescerent, & à labore cessarent; vt hoc lenamen defatigato corpori adhiberetur. in qua re satis appetet suauis p-uidēcia huius Dñi, qui ita prouiderit de ijs que nostris corporibus conueniebant. Quamobrē gratias illi debeo, tam propter lucem, quām propter tenebras, vrasque inuitans ad bēdicendum Deum verbis illis cantici, a Bene-

a Dan. 3. 71.

dicite lux & tenebrae Domino, bēdicate nox & dies Domino: Laudate & superexaltate eum in secula.

SED ascendens hinc ad contemplandū spi-  
rituale illud quod hic latet, perpendam, quid  
ater Deum & homines intersit; & quid inter  
coelum & terram, nam b Deus Dominus no-  
ter, vt ait S. Ioan. est ipsamēt lux & c tenebrae  
in eo non sunt vlla; & beati in cœlis, propter  
participationem gratiæ eius, semper sunt et-  
am lux sine admixtione tenebrarum. Et in  
celos vt habetur in Apoc. ) non est successio  
noctium & dierum, d nox enim non erit illuc: at  
in terra vicissitudo est & successio. Nam in  
primis aliqui sunt boni, qui sicut filij lucis  
ambulant, sicut qui ambulat in die; alii sunt  
improbi, qui viuunt sicut filij tenebrarū, sicut  
qui ambulat in nocte; & unus atque idem ali-  
quando est filius lucis, & aliquando tenebra-  
rum: & hos etiam diuidit Deus, alios appro-  
bans, alios reprobans, nam (vt ait Apost) e Qua-  
societas est luci ad tenebras? quasi dicat, nulla:  
quia non possunt coherere. Quare diligen-  
tius attende, anima mea; quomodo vitam

## II.

b Ioan. 1. 9.

c. Ioā. 1. 5.

d Apoc. 21.

25.

e 2. Cor. 6.

14.

P 5

tuam

UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

tuam ducas; accede ad partes filiorum lucis,  
vt cum supremus iudex aduenierit, ad sepa-  
randos illos à filijs tenebrarum, felix tibis or-  
contingat, vt cum filiis lucis gaudeas in ter-  
na gloria. Amen.

P R A E T E R E A in terra magna est di-  
uisio lucis & tenebrarum, dierum & no-  
ctium, in variis hominibus etiam iustis,  
& in uno eodemque diuersis temporibus:  
quia modò est in prosperitate, modo in ad-  
uersitate; nunc in honore, nunc in infi-  
mia; nunc in deuotione spiritus, nunc in a-  
riditate cordis; nunc magnas habet internas  
illustrationes, nunc magnas tenebras & ob-  
scuritates. Hanc diuisionem Deus dirigit,  
ad electorum suorum exercitationem & pro-  
bationem; oblectatur enim ea, propterea quod  
alis successio lucis & tenebrarum, non pa-  
rum conferat ad salutem animarum eorum;  
ideoque eadem successione & ego gaudeo,  
gratias pro utroque agens; siquidem dimi-  
eius prouidentia ita eam successionem dispo-  
suit, vt hac via æternam lucem in sua beat-  
tudine mihi largiretur. O Pater supre-  
mum

f 2. Cor. 4. o f qui dixisti de tenebris lucem splendescere  
easque separasti, illumina corda nostra  
ita ut illuminationem consequamur scientia  
& claritatis tuae, quæ resplendet in facie  
Filiij tui CHRISTI IESV, ut imitans  
hic claritatem eius vitæ, fruamur postea eu-  
gloria.

D E N I Q V E perpendam, quod cùm  
D E V S, luci & tenebris indiderit nomina,  
lucem appellans diem, & tenebras noctem,  
teneat ego, ea nomina amplecti, quæ à tali  
sapientia prodierunt ; judicans lucem &  
diem, virtutem, sanctitatem, & prosperi-  
tatem, quidquid D E V S tale esse iudicat, &  
tali nomine compellat; eademque ratione iu-  
dicans tenebras & noctem, vitium, culpam,  
& aduersitatem, quidquid D E V S hoc nomi-  
ne compellat ; ne horrendæ illæ minæ me  
comprehendant Prophetæ dicentis : g vœ  
qui dicitis malum bonum, & bonum ma-  
lum, ponentes tenebras lucem, & lucem tene-  
bras.

## III.

O L V X immensa, illumina corda nostra  
in luce scientia, & claritatis, quæ illucet infa-  
cie C H R I S T I I E S V, vt nostrum sen-  
tire, loqui, & operari; sit ipsi omnino con-  
forme, i qui enim eum sequitur, non am-  
bulat in tenebris, sed habebit lumen vi-  
tae, simulque cum ipso fruetur  
æterna gloria.

Amen.

g Isa. 5.20.

h 2 Cor. 4.6

i Ioan. 8.12.

MEDI-